



Fr. Hoffmann

1727.

dc, 28.

1. Aeger Hydrope ex Quartana laborans et restitutus.
2. De Proceritate corporis, eiusq; cauiss et effectib;
3. Tellerborn de febrib; intermittentib; et cognoscendis et curandis.
4. De ignorata uteri structura nullorum in medicina errorum fonte.
5. De morbis hepatis ex anatomia & conuendis.
6. De membris ex hepatis vitiis.
7. De connubio aquarum mineralium cum luce longe saluberrimo.
8. De Dysenteria anni 1726. epidemica.
9. De acriis potentia in epidemiarum morborum generatione.
10. De perfici quorundam remediiorum efficacia.
11. De iudicio ex sanguine per vene sectionem emiso.
12. De refigatoriorum praesanti in medicina usu.
13. De ponticulorum usu medico.
14. De morbis ex palmo vestis.
15. Brief von der Knecht und dem Gebrüder des Landstaats zu Hessen.
16. Brief von der Knechting Nübel n. Gebrüder abz. Trödel un*n*, entdeichten Bittern pürgint vom Eschenholz.
17. Brief von dem Eltern Gunther.

9

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHYSICO-MEDICA

DE

AERIS POTENTIA IN EPIDEMICORVM MOR- BORVM GENERA- TIONE

QVAM

AVSPICE DEO OPTIMO MAXIMO
AVCTORITATE ET CONSENSV GRATIOSAE FACVL-
TATIS MEDICAE

IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA
PRO

DOCTORIS IN MEDICINA GRADV


LEGITIME OBTINENDO

Ad d. XXVII. Martii A.R.S. M DCC XXVII.

Publico eruditorum examini fistet

CHRISTIANVS PHILIPPVS BERGER.

BVCKEBVRGO - SCHAVMBVRGVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis, IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

ANALOGIA
IN BORUM

TERIS TOTIUS IN E
AVANTURIA
AUT

DODICIA
K

CHRISTIAGEN



DISSERTATIO IN AVGVRALIS PHYSICO-
MEDICA
DE
**AERIS POTENTIA IN E-
PIDEMICORVM MORBO-
RVM GENERATIONE**

§. I.



Vlti dantur morbi, qui uno eodemque tempore, iisdemque symptomatibus maximam hominum partem corripiunt. Si uti simul & semel invadunt mortales, ita eodem quoque modo rursus evanescunt. Atque himorborum epidemicorum nomine veniunt. Horum quidam truculentissime grassantur magnisque strages edunt, & lue sua infectos brevi temporis spatio interficiunt, vel pristinæ valetudini restitutos deserunt. Ejus generis sunt: pestis, febres malignæ, exanthematicæ, petechiales, variolæ, morbilli, dysenteriæ, anginæ, pleuritides &c. Alii vero licet etiam epidemice grassentur, attamen fere

nunquam sunt funesti, nisi ab improviso medico male tractentur; contra vero sunt eo diurniores, adeò, ut ægroti per multas hebdomades, imo menses sæpiissime illis crucientur. Tales sunt; tusses, catarri, febres quotidianæ, tertianæ, quartanæ, catarrhales, arthritides, rheumatismi, diarrhoeæ &c. Hi igitur omnes epidemici morbi, quia multos simul & eodem tempore corripiunt, non possunt suam trahere originem a causis internis, neque a sanguinis vel impuri copia, neque ab humorum stagnationibus, viscerum infarctu, obstruktione, vel induratione, alias non simul & semel omnes homines uno tempore invaderent, sed necesse est, ut eorum causæ sint externæ, ita tamen comparatae, ut plures simul possint adficere. Jam autem nihil in tota rerum externarum classe, quibus homo ad vitam & sanitatem eget, præter aërem invenimus, qui horum morborum causis progignendis aptissimus est, etiam Hippocrate teste, qui lib. de flatibus, aërem, maximum auctorem in omnibus, quæ corpori accidunt, appellat. Quod etiam in aëre querenda sint illæ causæ, vel exinde satis evidenter judicare licet, quod non arudi & crassa mole atque materia, sed valde tenui & agilissima, at pernicialis & virulentæ indolis, inque primis sulphureo-causticæ nascantur & foveantur, id quod eorum morborum symptomata; inflammations, spastica contractions nervosarum partium, subitæ putredines & sphacelationes, erosiones, exanthemata abunde testatum faciunt. Talismodi vero agilis & venenatæ naturæ partes & moleculas in catholicò illo aëris & ætheris fluido hospitari, imo denovo gigni & produciri posse, opus est, ut paulo clarius demonstremus. Primo vero examinabimus aëris naturam, qui profecto nihil aliud est, quam corpus fluidum, grave, elasticum, globum nostrum terraqueum circumcingens, omnium corporum poros replens.

§. II.

§. II.

Hæc aëris definitio quamvis sit tantum nominalis, attamen ad explicanda, quæ in generatione morborum epidemicorum contingunt phænomena, satis sufficiet. Cum enim aër sit fluidum sphæram nostram circumdans, fluidorum vero ea sit natura ac indoles ut corpora ipsis leviora a fundo ad extremam tollant superficiem, atq; ita natantia illa efficiant; ita etiam aër complura corpuscula in se recipiat, necesse est. Innumera enim effluvia quotidie ex animalibus tam vivis, quam mortuis aërem ingrediuntur, & quod fere omnia corpora effluvia in auras spargant, Boylei experimenta abunde testantur. Quis est, quem fugiat, quot vapores ex lignis combustis sub fumi specie aërem ingrediantur? Quis nescit quantum aquæ exhaeat non tantum e culinis cum aliis esculentorum particulis intermixtis, verum etiam ex flaviis, lacubus, stagnis, paludibus? An vero quemquam præterit, quot ex vegetabilibus effluvia spargantur e. g. Flores odoriferi, aromata, quorum odor fragrantissimus per distantiam aliquot miliiorum, aëre peregrinantibus advehitur. Exinde itaque elucet, diversissimas particulas in aëre semper contineri.

§. III.

Hæc vero omnes particulae, quomodo nocivam indolem inducere possint, iam merito in disquisitionem venit. Illæ enim dum per se consideratæ, tales perniciosos effectus producere non sunt aptæ; inde magna suspicio cadit in earum diversi modam mixtionem, ut inde vis illarum activa virulenta dependeat. Quod vero corpuscula talia in aëre connubium inire possint, tonitrua probant. Hæc enim sulphuris inflammabilis præsentiam in aëre exquisite docent, cuius odor est signum sulphuris vulgaris. Huius vero ortum à sulphureis minerum exhalationibus derivare non possumus, cum sulphur vulgare ita sit compa-

ratum, ut difficillime in substantia evaporet, sed magno ignis gradu sublimari tantum possit. Accedit, quod sulphur mineralē tam profundi sit situs ut à calore solari, qui vix tres vel quatuor ulnas terram penetrat, tangi vix possit. In de non immerito iudicamus, sulphur illud non e terrae fontibus produci, sed in ipso aere generari.

§. IV.

Huius generationis ratio facile concipi, experimentisq; illustrari potest. Illustris Dn. Hoffmannus (*Patronus atque Preceptor summo honoris cultu eternum colendus*) mixtione opii cum Spiritu Vitri. & subsequenti destillatione per retortum, in eius collo invenit sulphur, quod odore, consistentia & colore sulphur vulgare plane æquabat. Notum quoque est illud Boylei experimentum cum oleo thereibinthinæ & spiritu vitrioli institutum, qui mixtione horum liquorum facta, sulphur produxit inflammabile, quod a vulgari minerali non differebat. Hæc igitur experimeta magnam inducunt probabilitatem, eadem ratione sulphuris in aere generationem fieri. De requisitorum enim ad huius productionem necessariorum præsentia dubitare non possumus, dum pinguum, oleosorum, resinorum, effluviorum continuo magna copia aërem ingreditur. Accidi vero in aere præsentiam experimenta quoque ostendunt. Caput mortis enim quod post destillationem Spiritus Vitrioli, ab omni plane acido destitutum relinquitur, si diutius aëri expositum fuerit, denuo suo acido sale fœcundatur. Nec minus alumen ustum, ab igne omni suo spiritu acido orbatum, etiam in aere acidum liquorem in suos poros iterum recipit, indeque etiam longe gravius evadit. Hæc experimenta itaque luculenter te stantur de sale acido in aere contento.

§. V.

Cum igitur me satis ostendisse existimem, diver sas

fas particulæ in aëre connubium inire posse, sulphure teste in illo generato; inde ex analogia non inconvenienter concludimus, non solum sulphur, sed etiam alias materias in aëre posse produci, & quidem tales quæ supra recensitos morbos in scenam proferre possunt. Supra memoratae enim particulæ si coëunt, inter se fermentant, ac a solis calore valde exaltantur & subtilisantur, fieri non potest quin earum textura plane invertatur, ac alteretur. Sola enim immutatione texturæ, constat, venenum transire in medicinam & contra medicinam invenenum, uti hoc accidit in præparatione mercurii sublimati & mercurii dulcis. Neque enim mercurius crudus venenosus est, neque alia ingredientia, cum quibus ille conficitur, attenuant ex mera sublimatione in venenum penetrantissimum convertitur. Hoc vero si de novo cum mercurio miscetur ac sublimatur, inde mercurius dulcis, medicamentum non exiguae virtutis, exurgit. Tali modo etiam illas in aëre hospitantes particulæ, in dispositione sua & configuratione ita inverti posse, ut virulentam causticam ac pernicialem indolem acquirant, res extra dubium est. Quia autem tonitrua in superiori aëre oriuntur, ita etiam alias illas mutationes & generationes harum materiarum nocivarum ibi contingere, non immrito existimamus. In illo vero animantibus in inferiore aëre viventibus nocere haud possent, nisi ad nos descendant. Idecirco non inutile quidpiam me commissum existimo, si in rationem huius rei paulo altius inquiram.

§. VI.

Hæ igitur particulæ, quin cum pluvia descendere possint, nullum est dubium. Dum enim illa adhuc informa vaporum in superiori aëre hæret, particulæ tunc ibi existentes in se recipere debet. Vapores vero isti si tan-

De Aëris potentia

tandem coëant, & inde maiorem gravitatem acquirant, ac in forma pluviae in terram cadant, particulas istas secum rapiendo ad nos ferunt. Hoc pacto vero pernicio-sissimæ particulae, cum valde distributæ sint, nullum adferre damnum possunt. Notum enim, quod ipsa aqua fortis, vel oleum vitrioli, quorum exigua quantitas, interne adsumta, mortem conciliat, si cum sufficienti aquæ quantitate diluantur, sine omni noxa ingeri possint.

§. VII.

Longe vero aliter res se habet, si hæ particulae in vehiculo ad nos deferantur, in quo non sunt tam dilutæ. Hoc contingit cum rore, si is eiusmodi particulis sit repletus. Ros igitur, qui non cum impetu se effundit, neque extanta aquæ copia constat, qua pluviae, ita quoque si noxiis particulis imbutus in terram se dimittat, non mirandum est, si istæ tunc effectus suos exerant. Ros enim, si talibus particulis causticis corrosivis, sulphureis contaminatus, vegetabilibus infundatur, ea non tantum exedit, sed & varias maculas arborum & plantarum foliis inducit. Ac observationes quidem docent, fructus vel gramina, rore hoc infecta hominibus & bestiis maximam intulisse perniciem. Sic anno 1692. & 94. in Hassia tali rore cum infecta essent vegetabilia, & boves & vaccæ coacervatum existinxerunt phthisi pulmonali. De hac materia etiam Ramazzinus de constitutione aëris 1690, egregias habet observationes.

§. VIII.

Nec minus solis calorvehemens etiam contribuere potest, non tantum ad generationem tam nocivorum miasmatum, sed etiam ad eorum descensum. In illo enim aër valde expanditur, ac cum hac expansione vapores humidi, aquosi valde distribuuntur. In hac distributione, illi magnam copiam subtilium talium molecularum facile

in generatione morborum epidemicorum.

9

Cile imbibere & in se recipere possunt. Remissione vero huius caloris facta, quod vesperi post occasum solis contingit, aer, mediante vi sua elastica, se iterum contrahere incipit, quo sit, ut vapores expansi iterum etiam condensentur, coeant; graviores evadant, & tali modo in aërem inferiorem se dimitrant, nebulamque constituant, quæ miasmata illa secum vehit. Hæc nebulæ quod sèpissime sit valde pernicialis, de eo abunde testantur observationes, quod nempe homines, cum illi nimis corpora suæ exposuerint, graves epidemicos morbos sibi inde attraxerint. Non vero, secundum meam sententiam, semper miasmata talia in crassa nebulæ, quæ oculis conspicitur, ad nos feruntur, sed etiam hoc accidit, in vaporibus humidis valde distributis, insensibilibus, ita ut isti cum aere ubique fluctuant, & quidem ex hoc fundamento; quia morbi epidemicæ sèpissime tales invadunt homines, qui neque in aërem nebulosum venerunt, neque infectos visitaverunt, uti præcipue animadvertisit in variolis epidemicæ graflantibus: Infantes enim licet hoc tempore non ex hypocausto emissi fuerint, tamen sèpissime a variolis corripiuntur.

§. IX.

Supereft iam, ut ostendam, quomodo istæ in aëre procreatæ materiæ, corpori nostro nocivæ, vim suam in corpus exerant, & qua ratione perniciosos producant effectus. At vero non inutile erit, perscrutari, per quas vias hæc miasmata ingrediantur corpora nostra. Ac in rore quidem infecto manifestum satis est, eum cum vegetabilibus ingeri. Verum tamen, si libere in aëre natant particulae res non tam perspicua est. Hoc igitur ut eo clarius eluceat, ideo non inconsultum erit, generalem communicationem indagare, quam aer cum corpore habet, præsertim cum viri docti hæc in re non sint eiusdem sententiae.

B

§. X.



§. X.

Aërem igitur non tantum per alperam arteriam pulmones ingredi, sed etiam in vasis reperi, testantur experimenta. Animal enim a subtrahito aëre sub campana extinctum in vacuo mire distenditur, admisso vero aëre de novo, rursus detumescit. Hoc experimentum docet, aërem in intima corporis nostri receptacula se insinuare. Neque enim alia potest dari ratio intumescentiae animantis in vacuo, nisi quod hæc fiat per elasticitatem aëris intus in vasis inclusi & ob defectum aëris externi vim suam expansivam exercens. Inde nihil certius est, aëris præsentia in corporibus animantium, quod quidem etiam non facile quenquam in dubium vocatum existimo.

§. XI.

Deinde quoque experimenta nos faciunt certiores, in omnibus alimentis, tam esculentis quam potulentis, insignem valde reperi aëris copiam. Atque hoc etiam ex ipsius definitione facile dijudicari potest. Definitur enim aëris, quod omnia spatia replete. Omnium vero alimentorum textura ita est comparata, ut in illis innumerabilia interstitia, quæ vulgo pororum nomine veniant, inveniantur. Igitur illa, tanquam spatiola a propria corporis materia vacua, ab aëri expleri debent. Atque id non solum de solidis sed etiam de fluidis valet. Hinc nihil certius est, quam quod aëris cum alimentis illis quotidie ingeratur. Nulla enim adest ratio sufficiens, quare remanere vel post assumtos cibos rursus avolare debeat. Ita Oesophagus est via certissima, qua aëris corpus nostrum ingreditur.

§. XII.

Alias adhuc vias magni quidam nominis viri sibi persuadent. Etenim defendere conantur, aërem etiam in pulmonibus immediate sanguini admisceri, atque id qui-

quidem hac ex ratione, quia in dissectis cadaveribus, aliquando in pulmonum cellulis reperta fuit materia glutinosa, & viscida, quæ dum non aliunde nisi transfusatione per vasorum poros derivari possit, inde concludunt; ergo etiam aërem illos posse intrare.

§. XIII.

Ego vero quomodo hæc omnia inde consequantur non video. Neque enim ab ista materia ad aërem argumenta inferre possumus. Quid quod experimentum illud quod acutissimus Christ. Wolfsius cum instrumento hydraulico ab ipso invento, & siphone in anatomicum adpellato, institut, isatis superque ostendit, de eadem materia non prædicandum esse, ut quos poros penetravit ab uno latere, illos etiam ab altero penetrare debeat. Hoc enim instrumento, experimentum instituit cum vesica urinaria, cuius latus externum cum illi adplicaverit, & aqua repleverit, magna aquæ copia per omnes poros prosiluit. Atque hoc ipso experimento, etiam cum latere interno instituto, ne gutta quidem aquæ adparuit.

§. XIV.

Præterea etiam notiones elasticitatis opinioni huic refragantur. Illa enim ita est comparata, ut a certo caloris gradu ad certum expansionis gradum redigatur. Atque in hoc statu, licet etiam minima aëris portio tubo inclusa per calorem in tantum quantum fieri potest spatium extendatur, attamen tam diu æquilibrium cum extensis fluidis tenet quamdiu contractio impeditur. Et hoc quidem testatur experimentum quod cum cucurbita viæ facili negotio institui potest. Huius enim officium si aquæ immittatur eique ignis a posteriori parte ad moveatur, tunc accrescente in vitro calore, aër ex illo per aquam in forma bullularum magna copia egreditur, adeo ut portio remanens vix alicuius sit momenti: nihil tamen secius eius tanta adhuc vis existit, ut aqua spatium illud

illud ab expulso aere relatum, haud occupare possit, antequam decrescente calore in pristinum statum deveniat. Hoc experimentum luculenter satis testatur, ingressum aeris per poros vasorum pulmonalium, meram esse opinionem, nullis superstructam fundamentis.

§. XV.

Adductum enim hoc experimentum facilissime quoque ad corpus humanum applicari posse, quis est, qui non videat? existente enim aere in vasibus sanguiferis, quod iam supra demonstravimus, necesse est, ut hic a calore interno etiam expandatur, & pro diversitate huius caloris maius vel minus spatium occupet, vaseaque distendat. Idem quoque contingit cum aere in pulmonibus, nimirum, ut etiam aer attractus a pulmonum calore expandatur, quo etiam accidit, ut illi distendantur, quo circa nulla adest ratio, quam obrem pressio aeris in pulmonum cellulis maior fortiorque esse debeat, quam in vasibus, cum hic actio & reactio sit aequalis. Qua de re tantum abest, ut opinionem hanc admittendam arbitremur, ut potius inde recte concludamus, solam ingredientis aeris viam esse cesophagum, istumque deinde per vasā lactea sanguini admisceri

§. XVI.

Jam vero facile concipi poterit, quomodo aer infectus, pro particularum diversitate diversos quoque possit seminare morbos. Cum enim omnis aer, corporis interiora ingrediens, per ventriculum & intestina viam capiat, facile iudicari poterit, aerem multis naturae nostrae infensis particulis refertum, necessario esse perniciosum. Etenim iam supra demonstratum est, miasmata haec, quae iam memoratos morbos producunt, venenorum modo agere. Horum vero vis nociva in eo consistit, ut arro-dendo, pungendo, lancinando tunicas intestinalium, spasticas in illis stricturas, & crispaturas efficiant, quae variis anomalis motibus & gravibus morbis, inflammatio-nibus

nibus, sphacelationibus causam præbent. Tum etiam miasmatum horum effectus hac ratione se exserere potest, ut, quoniam sæpius sulphureæ, putridæ, fermentescibilis indolis sunt & in fluida agunt, horum crasis invertant & putredinem impuritatemque illis indicant. Verum enim vero quamvis tantum hæ duæ epidemicorum morborum causæ generales emineant, illæ tamen tantum inter se dif- ferre possunt, ut diversissimos progignere queant morbos. Cum enim talium miasmatum vis nociva diversa sit, pro diversa illorum textura, ex supra dictis vero sa- tis liquefcat, quam varia eorum configuratio, dispositio, mixtioque esse possit, tot diversorum morborum genera- tio amplius non est miranda. Perquam notum enim est, venena etiam in corpus adsumta, non eodem modo po- tentiam suam exerere. Arsenicum enim vomitionibus, enormibus convulsionibus, atrocissimis tormentis & sphacelatione tunicarum intestinalium necat. Contra mer- curiale venenum peculiari agit ratione infauces, earumque glandulas, eas constringendo & exulcerando. Semen daturæ insaniam parit. Pari ratione à diversa causæ indole ac schemate diversitatem horum morborum de- pendere, dubio caret.

§. XVII.

Postquam itaque possibilitatem ostendimus, quo- modo epidemicæ morbi generari possint, quæ consistit in varia particularum in aere facta configuratione, unde quoque varii pro diversitate ipsarum in corpore effectus dependent; jam quoque facile, de eminentibus causis, si quæ inveniuntur, quæ talium nocivarum mollecularum productioni inservire possunt, perniciosos secuturos effec- tus prædicere possumus, vel etiam si iam præcesserint, tragœdiasque suas ludant, facile ab eis derivari queunt, quæ causæ etiam plerumque reperiuntur. Sic post Sue- corum in Polonia victorias secuta fuit pestis. Accidit

enim

enim post magna proelia, ut intersectorum hominum cadavera, superficiarie valde humentur, ita ut tam ab aqua pluviali quam a solis calore facile attingi atque ad corruptionem preparari possint. Idem Wratislaviensis naturae & artis testantur de febris exanthematicis, malignis, petechialibus, post insignem insectorum copiam exortis. Ac de inundationibus quidem Lancilius Italus celeberrimus annotavit; quodsi Aegyptorum regio aliquando plus quam ordinario modo a Nilo fluo inundetur, inde propemodum semper pestis quædam propullulet. Ratio in promptu est; ut enim in hominibus, in corruptionem abeuntibus sit, ut magna effluviorum sulphureorum, volatilem, putridorum copia in aerem diffundatur; ita etiam ab insectis exstantis eorumque excrementis hoc accidit. Nec minus id contingit in magnis inundationibus. Aqua enim post illas stagnans, quoniam non tam cito in vapores redigi, neque a ventis diffundi potest, in putredinem transit. Nimirum experientia docet, squam quantumvis purissimam si per aliquot temporis spatium, a commotione vacua quiescat, tantam putredinem adsumere, ut ejus odor vix sufferri possit. Ex hisce itaque omnibus effluviis non nisi perniciosa miasmata gigni possunt.

§. XVIII.

Caye vero existimes, in generandis ejusmodi morbis, semper moleculas nocere & ad generationem eorum sufficere. Sed etiam alia adhuc sunt in aere, quæ multum conferre possunt ad productionem horum morborum. Etenim ipse quoque aer pro diversa ejus gravitatis & elasticitatis conditione, corpora animalium ad diversimodas mutationes disponit. Quod ut eo clarius liquefacat, opus est ut antea usum aeris paulo penitus curatiusque perscrutemur. Hoc fluidum

fluidum catholicum itaque, non tantum eo inservit, ut pulmones attollat, & sic per eos circulum sanguinis promoveat, verum etiam ejus praesentia in vasis non est minoris momenti. Aer enim quod gravitate sua vehementissime corpora, ab ipso destituta, comprimat, prolixe satis ostendunt experimenta, instituta cum Scypho, ab aere evacuato, cui orbis vitreus super impositus fuit, qui vero ab incumbente aere in minutissimas partes disrumpitur. Adeo valida haemisphaeriorum ista evanescunt compressio! Hinc patet, quod nisi aer in vasis adfasset, illa eadem ratione comprimerentur, unde quoque sanguinis & humorum circulatorius motus plane impeditus fisteretur. Jam autem vitalis hic circulus imprimis dependet ab aeris gravitate & elasticitate. Aer enim ille venis inclusus, si ab interno calore expanditur, impedit, quo minus aer externus molestus nobis esse vasaque comprimere possit. Atque hac vi expansiva, intestinus fluidorum motus, illorumque attenuatio & spiritus ascentia conservatur. Præterea haec expansio dum id efficit, ut vasa in figura circulari maneant, eorumque fibrae nervae sic insitu aptissimo, ad commodum fluidi nervi transfluxum existant, cordi, arteriis, ac fibris musculosis vigorem, motum, robur conciliat. Verum enim vero, ad haec quoque non parum externus aer contribuit. Solus enim internus aer, tanta vi sua expansiva, nimis expansurus esset vasa, ita ut omnis fibrarum nervarum motus mox desineret. Inde externus, gravitate sua & pressione, ubique æquabili fibras, ne nimum extendantur, reprimit. Atque hoc quidem sequenti ratione contingit. Si enim interni aeris rarefactio & externi pressio recte se habent, id est, si eorum actio & reactio sunt æquales, circulus sanguinis, inde que dependens tota oeconomia vitalis vigent. Ex hacte-

hactenus dictis facile adparet, fluidum illud aereum esse ipsum vitre ac sanitatis fontem ac fundamentum. Nec minus patet, qualia inde detrimenta capere debent animantia, si in hac interna expansione & pressione externa, æquilibrium vacillet. Ad hoc vero æquilibrium servandum nullus aeris status accommodatior est siccus & sereno. In hoc enim maxima elasticitate & vi expansiva praeditus est aer, unde fit, ut valde subtilis & agilis existat, ita, ut motum intestinum, attenuationem, & divisionem humorum in minimis etiam partibus facile conservare possit; ideoque hic optimus & saluberrimus est.

§. XIX.

Contra ab humido aere plane quoque contraria prædicamus. Hic enim ab incumbentibus & in illo fluentibus humiditatibus valde est compressus, nec tanta elasticitate gaudet, ut aer siccus. Testantur hoc barometra, in quibus mercurius in hoc aeris statu valde descendit, quod ex nulla alia ratione contingit, quam a diminuta vi elastica. Talis igitur aer quod minime aptus fit ad robur infibris nerveis servandum, ex antecedentibus clarum est. Contra vero aer si humidus est, fibræ fiunt flaccidæ, indeque tonus & robur vacillat. Consequens est, ut etiam circulus sanguinis turbetur ac detrimentum capiat. Turbato vero circulo sanguinis inutilia ab utilibus non separantur, & ita se- & excretionis negotium languet, quo languente sanitas etiam est læsa. Inde enim impuritates multæ invasis colliguntur, & lente progredivi sanguis ferum suum acre dimittit, quodsi in partibus glandulosis capitum vel in eius membranis decumbat, gravedines, raucedines, tufoes, coryzas profert. Non vero solum hic capitum affetus inde oriuntur, sed etiam omnes cæteri morbi, qui a de-

a depravato se- & excretionis negotio, circuloque sanguinis, ob atoniam fibrarum nervearum, non recte se habente, exsurgere possunt, ut febres quotidianæ, tertianæ, quartanæ aliæque erroneæ febres, ab aere humido producuntur. Quinimo excrementa remanentia gravissimos etiam morbos putridos, malignos, contagiosos facillime gignere possunt.

§. XX.

Humidum aerem magnam generi humano noctam adserre, inde confirmatur, quod, qui in editioribus locis habitant, montani, rarissime morbis epidemicis sint subiecti, sed fere semper inconcussa sanitatem ævum transigant; cum e contrario illi, qui in depressoibus locis, atque in planicie domicilia habent, sepiissime morbis istis adficiantur, & multo magis adhuc illi, qui in locis paludosis commorantur, utope qui quotannis fere morbis epidemicis cruciantur. Ratio huius rei in aprico est. Aërem enim in altioribus locis nunquam tam gravem & compressum existere posse, uti in humilioribus, & consequenter illum maiori elasticitate præditum esse, ex principiis physicis facilis negotio demonstrari potest. Hoc vero existente leviori magisque elasticio in altioribus locis, tonus & robur fibrarum etiam melius conservatur, unde sanguinis & humorum circulus, qui ab eo dependet, etiam melius se habet. Illius vero bona constitutione quia sanitas subnititur, sequitur etiam, ut montium incole, saniorem aerem haerientes, ab epidemicis hisce morbis non tam sepe adfligantur. In paludosis vero & simul depressis locis habitantibus perfamiliares esse hos morbos epidemicæ grassantes, ex iis, quæ antea dixi, iam abunde liquet. Illi enim in aere degunt, ubi non tantum continui adscendent vapores, qui aeris vim elasticam valde

C

im-

imminuunt, verum etiam, ob paludum stagnationes, putridæ sunt aquæ. Hinc fit, ut aer putridis ibi exhalationibus repleatur, quæ quoniam cum aere, alimentis inclusio, quotidie ingeruntur, fieri non potest, quin eorum regionum incolæ, varii generis morbis, pro diverso vita genere, sint obnoxii. Præterea sensibilitatem aeris humidi etiam corroborant præfagia animalium, de ingruente pluvia, quæ ante illius adventum, varios insolitos motus, & vociferationes edunt. Has variationes ab aeris diminuta via elastica provenire arbitror, ita ut eorum fibre flaccide evadant, & fluidorum circulus impeditior reddatur, ipsaque animalia inde angustiæ quendam sensum percipient, qui ea ad tam insuetos motus disponit.

§. XXI.

Tempus brumale etiam valetudini nostræ non magnopere conducere, vel inde elucet, quod ad vitam calor naturalis, isque in toto corpore existens, necessarius sit, cum contra in mortuis omnis calor cesseret. Atque id vel lippis & tonsoribus notum est, quod corpus frigidum, si tangat calidum, huic etiam frigus inducat. Id etiam ab aere frigido fieri necesse est, cuius quidem rei experientia etiam testis existit. Aer vero quia corpora nostra undique circumfluit, si acri frigore adstringatur, uti in hyeme contingit, tunc etiam extremam corporis nostri corticem, quæ multo calidior est aere, frigore quodam adficere debet. Quo illi induello, non tantum fibre universi corporis constrictæ evadunt rigidiores, ac consequenter pori occluduntur, sed etiam quoniam exteriora corporis ex meris propemodum vasis consistunt, humores in illis contenti & sanguis in pulmonibus coagulantur. Hos igitur frigoris effectus maximam sanitati hominum detrimentum adferre

ferre quis negabit? Obstructis enim poris impeditur exeretio seri exerementitii, quod si ad partes glandulosas capitum manet, ibique stagnet, tussim, raucedinem, gravedinem, coryzam, progignit. Quodsi vero ad membranas propellatur, tunc intra costas pleuritis spuria, inter membranas muscularum rheumatismus, inque capitum membranis maximi dolores oriuntur. Sivero in pulmonium vasculis sanguis coaguletur, ab aere frigido attracto, ita ut in illis subsistat, tunc vel inflammatio superficiaria, ut pleuritis vera, vel profundior, nempe peripneumonia nascuntur.

§. XXII.

Venio nunc ad aerem aestivalem, quem et si facile quis pro minus apto ad morbos epidemicos procreandos existimare possit, tamen certum est, eum non minus varios epidemicos morbos excitare posse. Quoniam enim natura nulla amat extrema, ideo etiam aer nimis fervidus, aestivus, naturae nostrae haud amicus esse potest. Hoc enim motus humorum intestinus valde increscit. Isquo vehementior est, eo maior etiam copia bilis & salsi exerimenti, generatur. At vero quia in magno aestu externus aer maxime levis est, expansusque, internus quoque aer non sufficientem resistentiam habet ab externo, atque ita vim suam expansivam exercens, mirum distendit vasa, inde fit, ut fibrarum tonus maiorem in modum debilitetur, nec expulsio excrementorum rite succedat. His igitur remanentibus, impuritatis labore inquinantur humores. Vnde postea fit, ut secretoria illa, que laudabiles succos fecerere debebant, iam impuros in se recipient. Quodsi itaque succus pancreaticus huiuscmodi sordibus excrementitiis contaminatus sit, ac bilis eis scateat, & ambo duodenii ac ventriculi cavitates ingrediantur,

ibique diutius paulo morentur, tunc facile corruptio-
nem quandam induunt. Hæc excrementa vero cor-
rupta, lancinando, ac inflammando has nerveas partes,
partim febres conciliant ardentes, partim tertianas in-
termittentes, tam exquisitas, quam nothas; vel simpli-
ces vel continuas, nec minus hæc materiæ dylenteriæ
ansam præbere possunt. Ab hisce acribus enim fodi-
bus alvi profluvia oriuntur. Non tantum vero hæc sor-
des & impuritates falsæ, biliosæ, in duodeno morbos pro-
ducunt, sed etiam aliis in locis acerbos cruciatus effi-
ciunt. Sic in auribus excitant dolores, in oculis lippi-
tudines, &c. & præferti in melancholicis sæpiissime fe-
bres quartanas: sed hic generaliter tenendum, quod
transpiratione insensibili impedita, multum etiam ad
hos morbos generandos contribuatur, quod contingit,
si quis post æstum diurnum vespertino vel nocturno aeri
se exponat.

§. XXIII.

Restat, ut de subitis aeris mutationibus nonnulla
adiiciam, quæ profecto in procreandis omnis generis e-
pidemicis morbis sunt fœcundissimæ. Aer enim ille in-
ternus, pro varia externi constitutione, subitis etiam mu-
tationibus est obnoxius. Hinc aer valde mutabilis in-
signes etiam in corporibus nostris mutationes produ-
cit. Aere enim externo mox existente calido, mox
frigido, mox humido, mox secco, fieri non potest, quin
internus etiam mox expandatur, mox comprimatur, &
consequenter sanguis mox valde fluidus sit, mox vero ma-
gis crassus. Hisce vero anomaliis motuum & inordinato
fluidorum circulo, necesse est, ut fe- & excretionis ne-
gotium valde turbetur & invertatur. Quo turbato ex
antecedentibus satis clarum est, qualia inde detrimenta
in corpus redundant. Ac quoniam ab inversione huius
ne-

negotii fons & origo omnium fere morborum dependet, non mirandum, aeris statum valde mutabilem, tot i^mo fere omnium epidemicorum morborum auctorem esse posse, veluti coryzæ, tussis, rheumatismi, dolorum, inflammationum, alvi fluxionum, dysenteriæ, febrium intermittentium tam tertianarum, quam quartanarum, nec minus febrium acutarum, exanthematicarum, putridarum, malignarum &c. quorum omnium, & pluriū adhuc morborum hic aeris status fons autorque est.

§. XXIV.

Ex iis, quæ adduxi hactenus, facile explicari poterunt illæ ventorum prædicationes, quorum alii salubiores, alii vero insalubiores dicuntur. Ventus enim nihil aliud est quam commotio aeris, a diversa eius expansione in aliis regionibus orta. Atque id quidem hoc modo contingit. Si enim in quadam regione magnus æstus, in altera vero paulo remissior caloris gradus, imo aliquando frigus adeat, tunc aer, qui expanditur, successive in alias regiones pro parte pellitur, quarum aer inde augmentum capit, & vi elasticitatis comprimitur, atque tunc ventus gignitur. Alio modo id contingit, si in ferventioribus regionibus ingens æstus cessat; ac tunc quidem aer, in alia regione compressus, continuum se expandendi servans nisum, in aerem attenuatum ac levem maioricum vehementia irruit, quæ commotiones ventorum nomine veniunt.

§. XXV.

Cum igitur ventus nihil aliud sit, quam aer ex una regione in alias cum impetu transiens, hinc palam est, talem aerem, qui in illa regione existit, ad nos advehit. Aerem vero, pro diversitate regionum, diversis

C 3

mo-

modis esse constitutum, tam certum est, quam quod certissimum. Etenim aer illarum regionum, quæ siccæ sunt, ubi nulla adsunt maria, pauci lacus ac paludes, etiam aere siccō gaudent. Contra maritimus aer humidus valde est, ob vapores, qui nulla intermissione e mari exhalantur. Igitur ventos ex siccis regionibus, dum aerem siccum ad nos ferunt, salutares esse debere ex antea dictis patet. Contrario vero ex locis maritimis venientes longe insaluberrimi esse debent. De hac materia quia Excell. Dn. Hoffmannus peculiarem conscripsit dissertationem, inde nos fusiū de ea differere, supersedemus.

§. XXVI.

Dum ad finem properare me iuhent paginarum angustiæ, sentio tractandum mihi adhuc esse, de modo, quo hæ memoratæ adflictiones, ab aere ortæ, evitari possint. Ne vero aliquid agam, quod rationi minus congruat, inde secundum diversam aeris constitutionem atque hinc pullulantes effectus procedam. Ac quoniam primo sermo fuit de aere, particulis nocivis referto, & quidem de acrib⁹, causticis, tum etiam de putridis, fern ē-tescibilib⁹, sequitur iam, ut regulam hic aliquā generalem ponam. Tenendum igitur est, quod, quia antea dictum est, particulas istas sēpissime cum rore ad nos advehi, omnia vegetabilia, fructus, olera, probe sint abstergenda, antequam comedantur. Quod si vero miasmata in aere inferiori natent, tunc ille quantum fieri potest, corrigendus accensione rerum resinosarum, ac foetidarum, quæ spiculas particularum causticarum infringant, vel eas distribuant, quod vero difficillimum est, ob nimiam eorum subtilitatem. Inde in omni aere nebuloso contaminato commendandum est, ne quis in libero aere spum deglutiat, dum in illo particulæ tales in aere ho-
spi-

spitantes facile nidulantur. Inde etiam convenit valde usus tabaci, eam ob causam, ut sputum infectum eiiciatur. Cæterum maximopere ad præservationem commendanda est exacta diæta, ne primæ viæ cruditatibus obruantur, & sic corpus ad ægrotandum magis disponant. Si vero illæ adfunt, tunc corpus ad præservationem, vel emeticis, vel laxantibus, expurgandum est. Neque minus transpirationis insensibilis cura gerenda est, ut illa semper recte sit constituta.

§. XXVII.

Quod ad præservationem in aere humido pertinet, in illo optimum est, ut habitaculum in altioribus conclavibus queratur, quoniam in editioribus locis purior existit aer, neque tot repletus est humiditatibus, ac in humilioribus. Melius hoc adhuc est in rure, quam in urbibus, propter multas exhalationes, quæ hic in aërem adscendunt, eumque humidiorem adhuc reddunt. Ac quoniam, quod supra ostendi, humili aeris est effetus, ut tonum & robur fibrarum destruat, inde maximopere cavendum ut hæc, quæ intum fieri potest, conservetur, ea que omnia fugiantur, quæ destructionem istam adaugere queunt. Neque vero melius quodquam confortans invenitur, vino bonæ notæ, quale est rhenanum. Cavendum vero est, ne nimius sit vini usus, sed moderatus. Omnis enim excessus in rebus non naturalibus valde noxius est.

§. XXVIII.

Venio iam ad detrimenta ex aere valde frigido venientia. Atque hic ratio dicitur, quod facillime præserventur, si corpus aeri illi haud nimis exponatur, sed vestibus probe muniatur. Civeas etiam a frigido aere, si corpus antea calefactum valde sit, quoniam sanguis tali modo facillime incarceratur, unde letales morbi prove-

veniunt. Convenientissimum vero cum infusis calidis theiformibus transpirationem insensibilem conservare,

§. XXIX.

In aere fervente cum iam nimis sit praesens motus, ille non est augendus nimis corporis commotionibus, multo minus corpori, ab exercitiis vel aliis commotionibus calefacto, ingerendus est potus frigidus, qui saepissime pleuritides veras, peripneumonias, imo vetriculæ inflammationes produxit. Convenienter vero post corporis commotiones, infusis calidis uti quo transpiratio bene succedat, & particulæ falsæ, biliosæ, in fortiori sanguinis motu generatæ diluantur, ac per cutis poros aliaque emunctoria eiiciantur,

§. XXX.

In mutatione aeris inæquabili ac subita quia œconomia vitalis mire quantum turbatur, & transpiratio impeditur, illius etiam cura imprimitur, suscipiatur, necesse est. Neque vero melius conservatur, quam si caveamus ab ingressu in publicum, atque ita omnem excessivum aerem vitemus. Sic dissuademus matutinum, vespertinum, & nocturnum, dum ille etiam tanquam aer subito mutatus considerari debet, quia ab illo diurno multum differt. Ac sicuti in omnibz epidemicis morbis temperantia dia-phoretica, ita etiam in hoc statu, ad eos præcavendos, magni usus sunt. Hæc de aeris potentia dicta sunt. Fusiores in hac materia esse noluimus, ne dissertationis fines transgrediamur. Vnde iam vela contrahimus, ac finem potius huic dissertationi imponendum esse, arbitratu sumus.



NOBILISSIMO ET PRÆCLARE DOCTO

DNO. BERGERO,

S. P. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS,

Decanus.

Medicam artem omnium esse difficillimam, ul-
tro fateatur necesse est, quisquis curatius
expendit ea, quæ rationali, perito & rebus
suis satagenti artifici scitu necessaria. Ho-
rum quippe tantus numerus isque ambitus,
ut docile ingenium, perspicax iudicium, dextra institutio,
longum tempus, multus labor & multiplex experientia, ad
eadem penitus haurienda requirantur. Latissime profe-
cto patet scientiæ physicæ, chymicæ, anatomicæ, mecha-
nicæ, botanicæ campus. Arduum & difficile est, veram
vivi, sani & morbis obnoxii corporis philosophiam nosse,
diversas rerum salubrium & insalubrium, pro tempera-
mentorum, æratum, climatum, victus & vivendi generis,
item pro cauſarum morbidicarum ratione, mirum discre-
pantes virtutes & effectus perquirere, & sub incredibili
circumstantiarum & casuum varietate singulis accommo-
dam medendi methodum & invenire & inire. Farrago
quoque medicamentorum tam simplicium, quam com-
positorum, Galenicorum & chymicorum suppetit fere in-
numerabilis, & longe adhuc plures iisdem in libris bota-
nicis, chymicis & pharmacevticis adscriptæ vires atque
virtutes circumferuntur. At vero, ego quidem non pos-
sum quin candide profitear, Medicinam facilem, simpli-
cem & expeditam in se & sua natura esse doctrinam, &
quod merito dolendum, a priscis æque ac recentioribus
Medicis opinionum & pharmacorum ingenti multitudine

:)

red.

redditam tantopere obscuram & intricatam. Etenim fundamen-tales illæ disciplinæ, quatenus arti medicæ serviunt, accedente fida institutione, capti non adeo graves sunt. Neque etiam, missis vanis hypothesisibus, veritatum in theoria & praxi vere fructuofarum magnus suppetit numerus. Et remedia quoque, quæ tum ad præscindendos, tum persanandos morbos conferunt, oppido sunt pauca, modo arcanum amplissimi eorum usus exercitatus [doctor ingenuæ & perspicue tradat. Sic ago Tecum CANDIDA-TÈ DOCTISSIME, qui vel proprio exemplo vera hæc esse compertum habes. Quum enim iam per aliquot annos Medicina sacris operatus essem, & peregrinationibus quoque apud exterios animum discendi cupidum exsatiassem & sic variis & auditis & lectis theoreticis & practicis opinio-nibus imbutus, ne dicam cumulatus, ad nostram Academiam accederes, id Tibi quam maxime agendum ratus es, quo ex tain dissidentium sententiarum labyrinthe emer-geres, eaque propter nostras doctrinas per biennium ple-no ore avide haufisti, tam incredibili diligentia, ut nechoram lectionum elabi patereris, cui non interesses. Quo quidem indecessò studio id consequutus es, ut iam facilli-ma & expedita Tibi sit, quæ antea difficillima apparuerat ars nostra salutaris. Merito igitur præmium huius Tuila-boris, Doctorales nempe honores, ab ordine nostro mode-ste petiisti, quos eo lubentius Tibi contulimus, quo pulcrius, quod publice testor, in examinibus stetisti & quo maturiores profectus comprobasti. Quin idoneum Te iudicavimus, qui raro admodum exemplo, dissertationem proprio Marte elaboratam fine præside publicæ disquisitioni exponeres & solus qua polles facundia cum eo luculentiori applausu de-fenderes. Ego vero Tibi ex animo de superato tam felici-ter academicorum laborum stadio gratulor, simulque voveo, velit summum Numen ulterius omnes Tuos conatus for-tuna-

tunare ac benignissime concedere, quo Tua virtus & eruditio in publicam salutem & grorumque levamen summorum Patronorum favore ex merito provehatur & magis magisque enitescat. Si quid in me erit, quo etiam absens Tuus infervire potero desideriis, me nunquam id intermissurum, certissime credas. Vale. Scribeb. Halæ Saxonum V. Calendar. Aprilis. Anni clb lccc xxvii.

NOBILISSIMO ATOVE PRÆCLARE DOCTO,

DOMINO CANDIDATO,

AMICO ET INQVILINO SVO PERDILECTO,

S. P. D.


D. JOHANN CHRISTIAN STISSE

Mira sunt, quæ de Jasonis expeditione Colchos suscepta veterum referunt Mythographi, quod per tot maris pericula eluctatus, tot monstribus perdonatis, optata aurei velleris præda potitus ad patris lares redierit. Nucleum vero sub hoc putamine reconditum si querimus, nihil aliud hoc fabulæ involucro voluerunt indicare, quam iuveni ad sapientiæ laudem velis quadrigisque impigre contendenti, multas occurrere molestias, strenuo labore superandas. Ut igitur Medea salubri illi consilio & auxilio praesto fuit, ut huius ope voti tandem compos fieret, & laboriosissimam suam expeditionem bonis auspiciis absolveret: ita divina ope adiutus, & prudenter, quam Medeæ nomen exponit, secutus, nulli labori parcens, omnia agit feliciter, & ad veræ sapientiæ opes

inoffenso pede pertingit. Jasoni TE, Nobilissime Do-
mine Candidate, similem exhibuisti, qui strenu in stu-
diorum stadio de currens, nullos horruisti labores, & so-
lidam in medica arte scientiam appetens, auscultando, le-
gendo, ac meditando eos sapientiae thesauros conquisi-
visti, ut hanc in consuetis examinibus probando, & pu-
blice in Cathedra disputandique conflictu declarando,
summis nunc in Medicina honoribus orneris ex merito.
Dum itaque aureo quasi Vellere ornatus ; ac Doctoris
Medici nomine privilegiisque insignis ex hac Academia
discedis, non possum non hanc felicitatem ex animo grati-
ulari, Deumque precari, velit hos in TE collatos hono-
res gratia sua ita beare, ut laudabiliter parata hac TVA
scientia divini nominis gloriam promoveas, ægrorum,
qui TVÆ se fidei committunt, soluti prospicias, & sic
omnia ex Voto Tvo ac etiam meo cedant prosperime.

Scribeb. Halæ VI. Calend. April.

M DCC XXVII.



Uk 3448



3

f
84

Ne.

B.I.G.

Black

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres

Farbkarte #13

White 3/Color
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

DISSESSATIO IN AVGVRALIS PHYSICO-MEDICA
DE
**AERIS POTENTIA
IN EPIDEMICORVM MOR-
BORVM GENERA-
TIONE**
QVAM
AVSPICE DEO OPTIMO MAXIMO
AVCTORITATE ET CONSENSV GRATIOSAE FACVL-
TATIS MEDICAE
IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA
PRO
DOCTORIS IN MEDICINA GRADV
LEGITIME OBTINENDO
Ad d. XXVII. Martii A.R.S. M DCC XXVII.
Publico eruditorum examini fistet
CHRISTIANVS PHILIPPVS BERGER.

BVCKEBVRGO - SCHAVMBVRGV.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis, IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

